

initium & progressum, non absimilis miraculosæ cæci istius  
 sanationi Marc. VIII. 24. 25. qui, impositis prima vice Christi  
 manibus super oculos ejus obscuriuscule vidit homines, quasi  
 arbores ambulantes; iterum vero impositis manibus Christi  
 plane restitutus clare vidit. Similiter primi conversionis  
 motus obscuriores & debiliores sunt, cum Spiritus S. cor ape-  
 riens (quod de Lydia purpurarum venditrice legitur Act. XVI.)  
 sanctam quandam de rebus divinis cogitationem cum volun-  
 tatis pio quodam desiderio, & conatu saltem tendente in illa  
 ut acquirenda in eo excitat; quam deinde inter multas men-  
 tis dubitationes carnisque pravæ obluçtationem, gratiam suam  
 continuando, fovere, sustentare, sensim & paulatim augere  
 & eo usque provehere instat, ut voluntas, virtute istius gratiæ  
 & promptius in spiritualia feratur & intellectum efficacius ad  
 fidei assensum determinet. Unde non cogitandum est, nos  
 securo & ociosa voluntate velle expectare, donec conversio sine  
 nostro motu sola operatione Spiritus S. absoluta fuerit; sed  
 conando, quærendo & pulsando, quantum viribus gratiæ po-  
 terimus ad conversionem eniti oportet. Sane ex historiis  
 Ecclesiasticis constat, quod multi, qui ad Christianismum con-  
 versi sunt, non per unum vel alterum diem, sed sæpe per ali-  
 quot menses vel annos dubii hæserint & luctam carnis & spi-  
 ritus in seipsis experti modo in hanc, modo in illam partem  
 propenderint, donec tandem gratia Spiritus S. prævalente  
 plenus fidei assensus fuerit secutus, quod de seipso Augustinus  
 fatetur Confess. Lib. VIII. cap. 5. cui titulus: quæ remoraban-  
 tur eum a conversione pag. 191. edit. Colonienf. Hinc B.  
 Chemnitius P. I. Loc. Comm. cap. VII. Conversio non est ta-  
 lis mutatio, quæ uno momento statim suis partibus absolvitur  
 & perficitur: sed habet sua initia, suos progressus, quibus in  
 magna infirmitate perficitur. Neque enim in puncto aliquo  
 mathematico ostendi potest, ubi voluntas liberata agere inci-  
 piat. In principio desiderium est obscurius, assensus langui-  
 dior,